

respexit Deus, et beata quae credidit. Hic enim magnus divinae respectiois extitit fructus.

R. Beatam me dicent omnes generationes:
* Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

V. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria Patri. Quia fecit.

LECTIO IX.

Ineffabili siquidem artificio Spiritus superveniens tantae humilitati magnanimitas tanta, in secretario virginei cordis accessit, ut quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cum in sua aestimatione tam humilis esset, nihilominus et in promissionis credulitate magnanimis; ut quae nihil aliud, quam exiguam sese reputabat ancillam, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam, et veram Dei et hominis genitricem crederet mox futuram. Jam te, mater misericordiae, per ipsum sincerissimae tuae mentis affectum tuis jacens provoluta pedibus Luna, mediatricem sibi apud Solem Justitiae consti-

tutam devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, et Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam vere amavit prae omnibus, et ornavit stola gloriae induens, et coronam pulchritudinis ponens in capite tuo.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiph. Dum esset Rex.

Psalm. Dominus Regnavit.

Antiph. Laeva ejus.

Psalm. Jubilate.

Antiph. Nigra sum.

Psalmo. Deus, Deus meus.

Antiph. Jam Hiems transiit.

Canticum. Benedicite omnia.

Antiph. Speciosa facta es.

Psalm. Laudate Dominum de coelis.

Capitulum. Ab initio.

Hymnus. O gloriosa.

V. Diffussa est.

R. Propterea.

Antiph. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis, alleluia.

Canticum. Benedictus.

Oratio propria.

AD PRIMAM.

Ad hymnum. Jesu tibi sit gloria.
Et sic omnes alii eadem clausula terminantur.

Antiph. Dum esset Rex.

Psalm. Deus in nomine tuo.

Beati immaculati.

Retribue.

Ad responsorium breve. Qui natus es de Maria Virgine.

Capitulum. In plateis.

AD TERTIAM.

Antiph. Laeva ejus.

Psalm. Legem pone.

Memor esto.

Bonitatem fecisti.

Capitulum. Ab initio.

Responsorium breve. Specie tua &c.

AD SEXTAM.

Antiph. Nigra sum.

Psalm. Defecit.

Quomodo dilexi.

Iniquos odio habui.

Capitulum. Et sic in Sion.

Responsorium breve. Abjuvavit.

AD NONAM.

Antiph. Speciosa.

Psalm. Mirabilia.

Clamavi in toto corde.

Principes persecuti sunt.

Capitulum. In plateis.

Responsor breve. Elegit eam.

In secundis vesperis, omnia ut in primis except.

Antiph. ad magnific. quae dicitur.

Leva in circuitu oculos tuos, et vide. Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent, alleluia.

— 460 —
Quoniam dicitur
In quibus dicitur
Cipitulum. Et sic in
Repositum. Et sic in
AD MISSAM.

DIE 12 DECEMBRIS

IN FESTO B. MARIAE VIRGINIS

SUB TITULO DE GUADALUPE.

DUPLEX PRIMAE CLASSIS CUM OCTAVA, PRO NOVA

HISPANIA.

INTROITUS.

Salve sancta parens, enixa puerpera Regem:
qui coelum terramque regit in saecula saeculorum.

Psalm. 44. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. *V.* Gloria Patri,

— 461 —

ORATIO.

Deus, qui sub beatissimae Virginis Mariae singulare patrocinio constitutos perpetuis beneficiis nos cumulari voluisti: praesta supplicibus tuis; ut cujus hodie commemoratione laetamur in terris, ejus conspectu perfruamur in coelis. Per Dominum, &c.

Lectio libri sapientiae. Eccles. 2. c.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei, fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchrae dilectionis, et timoreis, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum: Memoria mea in generationes saeculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.

GRADUALE.

Quae est ista quae progreditur quasi aurora
consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?

V. Quasi arcus refulgens inter nebulas
gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis.

Alleluia, alleluia. Flores apparuerunt in
terra nostra, tempus putationis advenit. Al-
leluia.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 1.

In illo tempore: Exurgens Maria abiit in
montana cum festinatione, in civitatem Juda:
Et intravit in domum Zachariae, et salutavit
Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutatio-
nem Mariae Elisabeth, exultavit infans in ute-
ro ejus: et repleta est Spiritu Sancto Elisa-
beth: et exclamavit voce magna, et dixit: Be-
nedicta tu inter mulieres, et benedictus fruc-
tus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat
mater Domini mei ad me? Ecce enim ut fac-
ta est vox salutationis tuae in auribus meis,
exultavit in gaudio infans in utero meo. Et

beata quae credidisti, quoniam perficientur ea,
quae dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria:
Magnificat anima mea Dominum: et exultavit
spiritus meus in Deo salutari meo.

Credo.

OFERTORIUM.

Elegi, et sanctificavi locum istum, ut sit ibi
nomen meum, et permaneant oculi mei, et
cor meum ibi cunctis diebus.

SECRETA.

Tua, Domine, propitiatione, et beatæ Ma-
riae semper Virginis intercessione, ad perpe-
tuam atque praesentem haec oblatio nobis
proficiat prosperitatem et pacem. Per Domi-
num nostrum Jesum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus
Sancti Deus, &c.

PRAEFATIO.

Et te in festivitate.

COMMUNIO.

Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua
non manifestavit eis.

POSTCOMMUNIO.

Sumptis, Domine, salutis nostrae subsidiis: da, quaesumus, beatæ Mariæ semper Virginis patrociniis nos ubique protegi, in cujus veneratione hae tuæ obtulimus majestati. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, &c.

SECRETUM

Infraoctavam dies sunt impleti. In die octava omnia, ut in festo exceptis lectionibus, quæ in primo nocturno ex Sancto Cyrillo, pro ut in octava Nativitatis. In tertio nocturno, ut in die septima infra octavam Visitationis in octavario romano.

Praeinsertum vero officium et missam hujusmodi ad congregationem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalum sacris ritibus praepositam remisimus ad finem, ut accurate expenderet, quod cum præstitum fuisset emanavit decretum tenoris sequentis.

MEXICANA SIVE REGNI NOVAE HISPANIAE.

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XIV ad satisfaciendum pietati quam clerus, et populus Regni Mexicani, sive Novæ Hispaniæ, erga B. Virginem Mariam nuncupatam de Guadalupe, Patronam principalem ejusdem Regni profitetur, annuit precibus Reverendissimorum Archiepiscopi Mexicani, et Episcopi Michoacanensis per patrem Franciscum Lopez, societatis Jesu, procuratoris provinciae mexicanæ in urbe existentem, eorumdem nomini sibi porrectis, suprascriptum officium proprium et missam, recitandum et respective celebrandam die duodecima Decembris, sub ritu duplicis primæ classis, cum octava, ad mei secretarii relationem benigne aprobavit. Die 24 Aprilis anno 1754.—*D. F. Cardinalis Tamburinis*, præfectus loco sigilli.—*M. Marefiscus*, Sac. Rit. Cong. secretarius.

Nos itaque, attentis iis omnibus, quæ in supplici præinserto libello, et decreto continentur, atque etiam intimo, ac filiali pietatis studio, amore ac zelo, quo ad cultum veneratio-

nemque erga Beatissimam semper Virginem Dei Genitricem Mariam, ubique gentium propagandam, excitandam, atque confirmandam ferimur supplicationibus hujusmodi inclinati; primum quidem ad majorem omnipotentis Dei gloriam divinique cultus augmentum ejusdemque Virginis Mariae laudem, auctoritate apostolica tenore presentium electionem ipsius Sanctissimae Virginis Mariae sub invocatione de *Guadalupe*, cujus sacra effigies, seu imago, in magnificentissima Ecclesia collegiata et parochiali extramuros civitatis Mexicanae posita colitur, in principalem totius Novae Hispaniae, Patronam et Protectricem communibus tum venerabilium fratrum ipsius regni antistitem, clerici saecularis et regularis, et populorum illarum partium suffragiis factam, cum omnibus et in singulis praerogativis, quae juxta breviarii romani rubricas Sanctis Patronis principalibus, et protectoribus competunt, nec non praeinsertum officium et missam cum octava approbamus et confirmamus, atque eandem Dei Genitricem, Mariam de *Guadalupe* nuncupatam uti Principalem Novae Hispaniae Patronam et Protectricem habendam, invocandam et collendam esse statuimus, decla-

ramus atque juvemus. Praeterea, ut in posterum sollemnis tantae patronae ac protectricis memoria majori, quam ante celebrabatur pietate, ac debitis laudum utriusque sexus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, auctoritate et tenore paribus indulgemus atque mandamus, ut annua ipsius Beatissimae Virginis Mariae de *Guadalupe*, festa dies duodecima Decembris, in perpetuum sub ritu duplici primae classis, cum octava, peragatur, atque praeinsertum officium ac missa recitetur et celebretur. Praeterea cum injuncta nobis apostolicae servitutis ratio postulet, ut coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem imbecillitati nostrae credere dignatus est Altissimus, allacri libentique animo fideliter erogemus, cum eosdem ad magis augendam Christifidelium pietatem erga eandem Dei Genitricem semper Virginem Mariam Immaculatam, et procurandam animarum salutem confidimus fore profuturos; hinc est quod Nos omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui eandem collegiatam et parochialem Ecclesiam Beatae Mariae Virginis de *Guadalupe* quae prope est et extra civitatem

Mexici in duodecim anni diebus per ordinarium designandis a primis vespere usque ad occasum solis uniuscujusque diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeressum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, in singulis iisdem diebus quibus id egerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem Christifidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis Ecclesiam praefatam, in aliis duodecim anni diebus per eundem ordinarium itidem designandis, ut supra visitantibus et orantibus septem annos et totidem quadragenas; in reliquis vero anni diebus iisdem Christifidelibus contritis saepe memoratam Ecclesiam itidem ut supra visitantibus, et orantibus, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta, relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, ut per modum suffragii fidelibus defunctis applicari possint, concedimus et indulgemus.

Porro Nos duobus jam ab hinc annis saepe memoratam Ecclesiam, et in ea situm Altare perpetuo quotidiano privilegio decorabimus per alias nostras in simile forma Brevis Litteras, quarum tenor est qui sequitur.

BENEDICTUS PAPA XIV AD PERPETUAM REI
MEMORIAM.

Aeternae in coelis omnium saluti paterna charitate procurandae intenti, sacra interdum loca atque ea praesertim, ad quae Christifideles ab hac alma urbe nostra et ipsa Europa longissime positi ardentiori pietatis, venerationisque studio undique conflunt, spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Beatissimae Genitricis Mariae Virginis ac sanctorum suffragia meritorum consequi, atque illis adjunctae, ex purgatorii poenis ad sempiternam gloriam per inefabilem divinae misericordiae abundantiam perducere valeant.

Quoniam autem prope civitatem Mexici in indiis, Ecclesia alias in collegiatam erecta, sub invocatione Beatissimae Virginis Inmaculatae

de *Guadalupe* nuncupatae reperitur, ad quam accedentes, opemque ejusdem Virginis Mariae implorantes pro votis salutarem experiuntur: ea propter volentes ipsam ecclesiam collegiatam, in qua aliud altare privilegiatum per ordinarium loci semel tantum designandum hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel cujusvis ordinis, congregationis et instituti regularis missam defunctorum pro anima cujuscumque Christifidelium quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum altare celebraverit, anima ipsa de thesauro ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus, et indulgemus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die II Maji 1752, Pontificatus nostri anno XII. — *Cajetanus Amatus.* 08

Ea propter Nos Altare hujusmodi ab Archiepiscopo Mexicano jam designatum iterum approbamus, et confirmamus, et quatenus opus sit de novo concedimus, et elargimur. Caeterum cum in catholica Jesu Christi Ecclesia quam ipse Redemptor noster proprio sanguine fundavit, mortisque suae meritis usque ad aeternae gloriae revelationem in coelis perseveraturam fore promissit, nihil sit, quod immensam ejusdem Christi charitatem magis commendet, atque illustret, quam religiosorum ordinum institutae societates, et saecularium hominum congregationes et sodalitates; propterea romani Pontifices praedecessores nostri ad earum societatum congregationum, et sodalitatum incrementum procurandum coelestium munerum thesauros erogare non destiterunt, iis autem majori cum liberalitate, quibus Christifideles non solum ab hac alma urbe nostra, sed ab ipsa quoque Europa longe dissiti sub Beatissimae Virginis Mariae patrocinio, et tutela Omnipotentis Deo famulantes sese manciparunt. Quoniam autem in saepedicta collegiata et parochiali Ecclesia Beatae Mariae Virginis de Guadalupe una pia et devota utriusque sexus Christifidelium con-

gregatio seu confraternitas sub titulo et invocatione ejusdem Beatae Mariae Virginis canonicè erecta, seu erigenda existit, cujus confratres et consorores quam plurima pietatis, et charitatis opera exercere, ejusdemque Virginis Mariae cultum, venerationemque promovere; et fovere consueverunt seu intendunt; Nos ut congregatio seu confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione reffectis, qui ecclesiam seu capellam, vel oratorium praefatae congregationis seu confraternitatis in duobus anni diebus per confratres eligendis, et ab ordinario approbandis, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeressum extirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper omnibus et

singulis Christifidelibus, qui dictam congregationem, seu confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi eodem die, vel festo in die, aut Dominica immediata ingressum hujusmodi sequenti, Sanctissimum Eucaristiae Sacramentum in Ecclesia, cappella seu oratorio dictae congregationis, aut alibi sumpserint, plenariam, nec non tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta congregatione seu confraternitate confratribus et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi, ac sacra communione reffecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint etiam plenariam; atque iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae congregationis seu confraternitatis confratribus etiam vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione reffectis, saepe dictae congregationis seu confraternitatibus ecclesiam in diebus Natalis et Ascensionis Domini Nostri Jesuchristi nec non Conceptionis, Nativitatis, Anuntiationis, Purificationis, et Assumptionis ejusdem B. V. M. Immaculatae ut supra visitantibus, et

orantibus, plenariam itidem indulgentiam concedimus; et nihilominus iisdem confratribus, qui ecclesiam, cappellam, seu oratorium congregationis in iis diebus, in quibus juxta statuta, regulas seu consuetudines confratrum conventus haberi solent, confessi et sacra communione refecti devote visitaverint, et ut supra oraverint, plenariam pariter Indulgentiam semel tantum in mense, die ad uniuscujusque libitum eligendo, itidem concedimus et impertimur. Quam quidem indulgentiam plenariam semel in mense concessam bis in anno lucrare poterunt iidem confratres, etiamsi ecclesiam capellam, seu oratorium saepe memoratae congregationis non visitaverint, dummodo aliud templum visitent, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumant, et generalis confessio vel totius antea vitae, vel ab ultima generali praecedat. Quotiescumque autem ejusdem congregationis seu confraternitatis praefectus seu rector, aliique sacerdotes congregati, ad infirmorum curam deputati, infirmos confratres visitaverint, eosque spiritualibus monitis, sive ad morborum incommoda patienter toleranda, sive ad mortem de manu Domini tamquam pecca-

ti stipendium libenter acceptandam adjuverint, et coram aliqua crucifixi Salvatoris nostri Imagine ter salvem, orationem Dominicam et salutationem angelicam juxta mentem Sanctae Matris Ecclesiae ab ipsis recitari curaverint, quo die iidem infirmi sancta communionem sumpserint, ut ipsis indulgentiam plenariam pariter applicare possint, similiter indulgemus. Quoties vero iidem confratres caetibus tum publicis, tum privatis, aut divinis officiis vel spiritualibus colloquiis et exhortationibus ubivis faciendis aut missae sacrificio diebus feriatis interfuerint, vel conscientiam suam examinaverint vespere antequam cubitum eant, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non quoties corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad ecclesiasticam sepulturam prosecuti fuerint, aut Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur comitati fuerint; vel si impediti, campanae ad id signo dato, semel orationem dominicam, et salutationem angelicam dixerint, etiam quinquies ora-